

obsidione pugnatum, eo majori spe, quod a Mercurii Duce, Cæsaris exercitus præfecto, Alba Regali capta, obseffis subsidii spes adempta videretur. Ceterum votis fortuna non annuit. Pontibus fabrefactis, qui per paludem rotarum volubilitate agerentur, proprius succedere mœnibus, quo impetus atque irruptio in oppidum fieret, tentatum. Verum uliginoso atque inæquali solo, palustribus kannis obstito, irrito conatu res cessit; compluribus tormentorum ictibus fauciatis atque imperfectis, quæ a lateribus tuto a Turcis intoruebantur. Neque ideo a verberatione atque ab urgendo hoste cessabatur, qui, licet ad trecentos redactus, obfirmato animo spiritum pro muris effusurus, ne minimum quidem Budensis Bassæ objecto capite perterritus, constanti obstinatione videbatur. Verum vehementi adeo frigoris vi, præter ann rationem (erat enim circa octobris exitum) decidentibus magna copia atque impetu nivibus, cælum obriguit, ut haud parum exercitus læderetur, complures militum signa deserent: Ferdinando obnitente, neque a Canisii conspectu, ni oppido potiretur, abduci copias permittente. Eadem præfectorum insignium mens, quos propinquai subsidii spes sustentabat, quod Matthiam Archiducem cum Duce Mercurii haud procul abesse, Turcarumque copias dimissas nuntiarentur. Verum ab Herberstenio, qui cum duobus germanorum peditum millibus in castra venerat, Bassam Visirum triginta bellatorum millia secum ducentem, ad Quinque ecclesiaram urbem pervenisse, Canisio opem laturum, cognito; spe dejectus Ferdinandus, solvendam obsidionem statuit: idque perturbate adeo effectum est, ut multi palustribus aquis hausti, alii una cum equitibus cæno absorpti interirent, tormentorum parte voraginibus immersa. Italorum militum major pars afflicti ac male habiti in patriam per Carnos rediere. Iis liberaliter a Senatu rebus in itinere necessariis subventum, pecunia impertita, lembos instrui jussum, ut tuto in Aemiliam atque Picenum veherentur; Serra Genuensi curatore, quem Clemens, ut militibus pontificiis stipendia persolveret, in exercitum miserat, idem iter tenente: publicæ pietatis Senati Clemens gratias egit.

1601
Alba Rega-
lis a Mer-
curii Duce
capta.

Cæsareani
Canisii obsi-
dionem de-
serunt.

Per eos dies ex nuper initis conjugiis primogeniti Regibus